





DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**CALORE FEBRILI**

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGALITER CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI  
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

*Antonius Brauner,*

Moravus Krasonitzensis.

---

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Universitatis.  
Die *XVI* Mensis Novembris 1833.

---

VINDOBONAE.  
TYPIS J. P. SOLLINGERI.  
MDCCCXXXIII.



INGENUO SCIENTIARUM ET ARTIUM FAUTORI

DOMINO DOMINO

**LUDOVICO LANG,**

VIRO

HUMANITATE INSIGNI

ET

**PATRONO SUO BENIGNISSIMO**

IN PERENNIS AESTIMATIONIS SIGNUM

PAGELLAS HASCE DEDICAT

Gratissimus

Auctor.

Multa fiunt eadem sed aliter.

PLINIUS.

---

§. 1.

Sunt facta, et habent auctoritatem empiricam observationes sequentes:

I. Existit calor febrilis (Fieber-Wärme) manifestus et perceptus sub diversis februm speciebus, e. g. irritativis, inflammatoriis, nervosis, putridis et pluribus aliis.

II. Minuitur calor febrilis manifestatio per additum calorem communem (gemeine Wärme) sive applicetur calor communis per potulentum aquosum calidum, sive aeris ope calefacti.

§. 2.

Prius, quam aggrediamur harum observationum explicationem, praemittemus et fundabimus adfirmationes sequentes:

I. Duplex est cogitabile principium repulsivum seu centrifugum;

II. Unicum est cogitabile principium attractivum seu centripetum.

§. 3.

Invenit naturae scrutatorum sagacitas legem naturae materialis sequentem:

I. Poli homogenei sese invicem repellunt.

II. Poli heterogenei sese invicem attrahunt.

Nos inde concludimus :

- I. Homogeneitas polorum est principium repulsivum,
- II. Heterogeneitas polorum est principium attractivum.

§. 4.

Ponamus polos  $\alpha$  et  $\omega$ , atque tunc triplex cogitari poterit, qualitativae polorum combinationis casus; nempe:

- I. duplex polorum homogeneitas, scilicet  $\alpha \alpha$  et  $\omega \omega$ .
- II. unica polorum heterogeneitas, scilicet  $\alpha \omega$  sive  $\omega \alpha$ .

§. 5.

Inde autem concludimus :

I. Quum homogeneitas polorum sit principium repulsivum, et quum duplex cogitari possit polorum homogeneitas; hinc duplex cogitabile principium repulsivum, seu centrifugum, nempe  $\alpha \alpha$  et  $\omega \omega$ .

II. Quum heterogeneitas polorum sit principium attractivum, et quum unica cogitari possit polorum heterogeneitas, nempe  $\alpha \omega$  sive  $\omega \alpha$ ; hinc unicum cogitabile principium attractivum seu centripetum.

§. 6.

Si autem vocemus polum  $\alpha$ , polum positivum seu phlogiston, et polum  $\omega$ , polum negativum seu antiphlogiston, deinde erit:

I.  $\alpha \alpha$  idem ac principium centrifugum positivum seu phlogisticum; et

II.  $\omega \omega$  idem ac principium centrifugum negativum seu antiphlogisticum.

§. 7.

De qua modo mentionem fecimus lex naturae materialis seu somaticae reperitur e diametro opposita legi naturae idea-



lis seu logicae, ubi poli homogonei sese invicem attrahunt, et poli heterogenei sese invicem repellunt. Inde simul concluditur in quantum differat vita materialis seu somatica a vita ideali seu logica, quum ambae sequantur leges non tantum differentes, sed potius e diametro oppositas; et quum constet ex oppositis legibus oppositas necessario fluere proprietates et mutationes, et quum vita somatica sit necessario mortalis, hinc vita logica debet esse necessario immortalis.

§. 8.

Probata in praegressis duplicis principii centrifugi et unici principii centripeti cogitabilitate, accedimus nunc ad demonstrandam duplicis principii centrifugi et unici principii centripeti existentiam, et ita quidem ut innotescat adparere et occurrere :

I. principium centrifugum positivum seu phlogisticum sub specie caloris febrilis (Fieber = Wärme);

II. principium centrifugum negativum seu antiphlogisticum sub specie caloris communis (gemeine Wärme);

III. principium centripetum sub specie frigoris (Kälte).

§. 9.

Caloris manifesti imminutionis seu decrementi triplex distinguitur casus prouti efficitur :

I. vel per subtractionem caloris liberi;

II. vel per suppressionem caloris liberi;

III. vel per utramque simul.

Distinguitur autem porro tam subtractionis quam suppressionis exponens et ratio.

§. 10.

Exponens subtractionis est Zernus; exemplii gratia  $+ \alpha - \alpha = 0$ ,  $+ \omega - \omega = 0$ ,  $+ \varphi - \varphi = 0$ .

Exponens suppressionis est phlegma; exempli causa:  
 $\vdash \alpha \vdash \omega = \phi$ .

§. 11.

Ratio subtractionis sunt quantitates heterogeneae et aequivalentes, seu oppositio et exaequatio quantitativa seu aequilibrium quantitativum seu indifferentia quantitativa.

Ratio suppressionis sunt qualitates heterogeneae et aequivalentes, seu oppositio et exaequatio qualitativa seu aequilibrium qualitativum seu indifferentia qualitativa.

§. 12.

Zerus igitur significat absentiam utriusque quantitatis heterogeneae et aequivalentis, tam positivae, quam negativae, phlegma vero significat praesentiam utriusque qualitatis heterogeneae et aequivalentis tam positivae quam negativae; hinc zerus a sensibus nunquam percipi, sed solummodo ab intellectu concipi; phlegma vero et a sensibus percipi et ab intellectu concipi potest. Quum autem frigus positus a sensibus percipi, teste omnium experientia, hinc frigus non potest esse caloris zerus, sed debet esse caloris phlegma; supponit igitur caloris heterogenei et aequivalentis praesentiam, et hinc etiam caloris duplicis, nempe positivi et negativi existentiam.

§. 13.

Probata nunc caloris positivi et negativi existentia accedimus nunc ad illustrandam caloris positivi et negativi differentiam. Supponit autem sub hocce respectu distinctio comparationem, comparatio perceptionem, et perceptio caloris manifestationem.

§. 14.

Manifestatio caloris (Wärmeäußerung) supponit aliquem caloris in sensus organon effectum (Wirkung); qui iterum

supponit aliquem caloris cum sensus organo conflictum (Wechselwirkung).

Praemitemus itaque ordinis gratia subsequentibus antecedentia et examinabimus igitur omnium primo caloris cum sensus organo conflictum.

### §. 15.

Caloris cum sensus organo conflictus involvit necessario :

I. affectionem (Einwirkung) caloris in organon sensus, et

II. reactionem (Rückwirkung) organi sensus in calorem; ut autem calor A organon sensus B afficere, et organon sensus B in calorem A reagere possit, supponit et A et B certam virium oppositionem; in viribus vero distinguitur :

I. actio (Thätigkeit), et in actione iterum discernitur

II. directio (Richtung), ut igitur pateat oppositionem virium modo ad actionem referri, modo ad directionem, modo ad utramque simul.

### § 16.

Si igitur illa, quam supra sub §. 12 exposuimus, sententia, constat, deinde distinguemus praesumendo :

I. in calore positivo seu calore febrili =  $\alpha \alpha$

1) actionem phlogisticam et

2) directionem centrifugam

II. in calore negativo seu calore communi. =  $\omega \omega$

1) actionem antiphlogisticam

2) directionem centrifugam

III. in frigore autem =  $\alpha \omega$

1) actionem phlogisticam et antiphlogisticam simul

2) directionem centripetam.

Simulque inde sequentes deducimus enunciationes:

- 1) actionem esse caloris qualitatem absolutam seu essentialem;
- 2) directionem esse caloris qualitatem relativam seu accidentalem;
- 3) caloris positivi et negativi qualitativam differentiam esse revera essentialem.

§. 17.

Caloris in sensus organon effectus supponit necessario caloris cum sensus organo conflictum, sequitur igitur diversam hujusce conflictus rationem; quae generatim triplex distinguitur, etenim:

I. vel effectio et reactio aequivalent et inde procedit effectus nullus;

II. vel praevalet affectio et inde procedere debet effectus passivus;

III. vel praevalet reactio et inde procedere debet effectus activus.

Supponit et significat itaque posito caloris cum sensus organo conflictu:

I. effectus nullus aequivalentiam affectionis et reactionis;

II. effectus passivus praevaletiam affectionis;

III. effectus activus praevaletiam reactionis.

§. 18.

Memoratu digna est sub hoc respectu diversa hominum et sensus organorum ceteris paribus et vario tempore in determinatos effectus receptivitas et] resistentia, et tribuitur illis:

I. resistentia, ubi reactio aequivalet affectioni et nullus adparet effectus.

II. receptivitas activa, ubi reactio praevalet affectioni, et effectus adparet activus;

III. receptivitas passiva, ubi affectio praevalet reactioni et effectus adparet passivus.

§. 19.

Quod factum naturae scrutatores mox eo perduxit, ut certa quaerent et invenirent adminicula externa, quae minoribus et rarioribus, quam sensus organisi solenne, obnoxia sunt receptivitatii et resistentiae mutationibus et differentiis, quae igitur magis stabilem offerunt reactionis rationem, hinc et magis fidos sistunt, et minus fallaces quam sensus organa, certarum materierum et virium indices et iudices; quoniam autem determinatam exhibent, sub determinatis circumstantiis reactionis rationem, hinc per eminentiam reagentia vocari solent, et sistunt pro diverso in quem adhibentur scopo, modo reagentia chemica, modo reagentia medica.

§. 20.

Magnam merito tribuunt reagentibus, tam chemici, quam medici, in explorandis materiis et viribus auctoritatem et fidem; sunt etenim bene multae materierum et virium proprietates et mutationes, quae sensibus directe, scilicet sine reagentium interventu, occultantur vel obscurescunt; indirecte autem videlicet intercedente reagentium usu, manifestantur vel inclarescunt. Quod quum de caeteris pateat, de caloris praecipue valere manifestationibus directis nemo in dubium vocabit, cui notum et perspectum est, nullum esse homini ad calorem directe percipiendum et distinguendum, sensum peculiarem, sed inservire huic operi solummodo sensum communem, qui perceptionum claritate et distinctionum acie inter caeteros sensus infimus creditur.

## §. 21.

Inde simul directae et indirectae, manifestationis et perceptionis, significatio elucet atque differentia; prior enim directum supponit conflictum inter perceptionis objectum, et perceptionis subjectum, posterior vero indirectum; in casu autem posteriori percipit sensus manifestationem indirectam in objecto sensui proximo, intellectus autem refert hujusce manifestationis fontem, seu causam primam ad aliquod objectum a sensus organo plus minus remotum; sensibus itaque solummodo effectus, intellectui vero causae patefiunt.

## §. 22.

Caloris manifestatio et perceptio, sequitur caloris, quem supponit, in sensus organon effectus diversitatem, et dabit igitur sub hocce respectu :

I. effectus nullus perceptionem et manifestationem nullam;

II. effectus activus perceptionem subjectivam et manifestationem falsam;

III. effectus passivus perceptionem objectivam et manifestationem veram.

Erit itaque perceptio caloris subjectiva perceptioni caloris objectivae opposita seu heterogenea.

## §. 23.

Harum, quas nunc deduximus, enunciationum documentum eminentius occurrit in corporum saporibus; reperiuntur enim corpora, quae linguae nullum plane saporem imprimunt; existunt vero etiam alia corpora, quae linguae saporem subjectivum et objectivum successive imprimunt; et tunc est revera sapor primarius saporis secundario oppositus seu he-

terogeneous. Exempla, ex clarissimi Caroli Hartmanni opere pharmacologico deprompta, praebent:

a) corpora saporis ab initio dulcis vel subdulcis, deinde acerbi vel adstringentis; ita Alumen, Saccharum Saturni.

b) corpora saporis ab initio amari, deinde dulcis; ita caules Dulcamarae;

c) corpora saporis ab initio fervidi, deinde frigoris sensum inducentis; ita Camphora, Naphta Vitrioli et plura alia.

Existunt imo corpora, quibus sapor subinde objectivus et subinde subjectivus tribuitur. Exemplo inservit Aether nitricus, qui reperitur saporis subinde subdulcis et subinde saporis subamari.

#### §. 24.

Verum enim vero istam manifestationum et perceptionum fallaciam, quae in corporum saporibus sat clara et evidens est, etiam reliquis, per analogiae jura, tribuimus sensuum organis; falsos autem nuntios, quos sensus referunt et perceptio, corrigit optime intellectus et conclusio distinguens ubique, non tantum quid adpareat, sed etiam quid possit et debeat adparere, attendens itaque ad effectuum cum suis causis consensum et contradictionem.

#### §. 25.

In omni disquisitionis objecto distinguimus intellectus ope necessario:

- I. certas proprietates, seu causas effectuum internas;
- II. certas circumstantias seu causas effectuum aternas; et
- III. certam proprietatum ad circumstantias relationem ita ut singula proprietas suas habeat circumstantias auxiliares seu

externa adminicula (Fördernisse) et suas agnoscat circumstantias adversarias seu externa obstacula (Hindernisse).

§. 26.

Conceptus proprietatis analogus est conceptibus: facultas, potestas, potentia, efficientia, virtus, vis, dos; et tribuimus calori totidem proprietates diversas, quot illi diversos adscribimus effectus; ut autem jure logico aliquem calori adscribere possimus effectum, debet iste effectus caeteris paribus, addito calore adparere vel saltem incrementum, et subtracto calore disparere vel saltem decrementum.

§. 27.

Omnis proprietas supponit necessario aliquam quantitatem et qualitatem, atque certo adstringitur tempori et loco; totidem itaque supponi debent in uno eodemque objecto diversae qualitates et vires, quot illi ipsi objecto adscribuntur proprietates et effectus, et non unica igitur, sed potius multiplex distingui debet cujuslibet objecti ad suas circumstantias relatio auxiliaria seu homogeneitas, et relatio adversaria seu heterogeneitas.

§. 28.

Circumstantia quaecunque, objecti disquisitionis proprietatibus non potest esse sive auxiliaria sive adversaria nisi per suas iterum proprietates sive homogeneas sive heterogeneas; ut igitur alia admitti non possit inter disquisitionis objectum et ejusdem circumstantias sive homogeneitas sive heterogeneitas nisi quae inter objecti et ejusdem circumstantiarum proprietates obtinet, seu causas internas sive vires.

§. 29.

Cujuslibet vel in vel ex calore effectus sors et mutatio a proprietatum ad circumstantias relatione dependet, itaque



etiam ab effectus adminiculorum et obstaculorum mutua ratione determinatur, quae generatim triplex statuitur, etenim:

I. vel adminicula aequivalent obstaculis et inde procedit effectus mutatio nulla seu constantia;

II. vel adminicula praevalent obstaculis et inde procedit effectus mutatio progressiva seu incrementum;

III. vel obstacula praevalent adminiculis et inde procedit effectus mutatio regressiva seu decrementum.

Supponit et significat itaque sub hoc respectu caloris:

I. effectus statarius seu constans aequivalentiam effectus adminiculorum et obstaculorum;

II. effectus progressivus seu increscens praevalentiam effectus adminiculorum seu causarum effectus homogenearum;

III. effectus regressivus seu decrescens praevalentiam effectus obstaculorum seu causarum effectus heterogenearum.

### §. 30.

Si nunc mutatio regressiva caloris effectus continuatur, tum debet ipse effectus primo decrescere, deinde evanescere et tandem in effectum oppositum transire, competit itaque cuilibet caloris effectui, primo gradatio positiva, secundo zerus seu absentia, et tertio gradatio negativa, et est itaque absentia effectus inter extremum effectus positivum et negativum: intermedia. Exemplum occurrit in febribus, ubi calor normalis seu negativus decrescendo per horrores in frigus regreditur, e frigore febrili vero in calorem febrilem seu positivum tendit. Sed non confundenda est absentia effectus cum absentia causae; supponit etenim effectus praesentia non tantum causarum effectus homogenearum seu adminiculorum effectus praesentiam, sed etiam in causas effectus heterogeneas seu obstacula effectus prae-

valentiam. Hinc etiam cujuslibet effectus origo et augmentum triplicem admittit explicationem et significationem; producitur etenim adminiculorum effectus praevalentia, et proinde etiam ipsemet effectus:

- I. vel per additionem effectus adminiculorum;
- II. vel per subtractionem effectus obstaculorum;
- III. vel per utramque simul.

### §. 32.

Haecce caloris effectuum originem et augmentum indagandi et explicandi methodus est thermostatica; supponit enim ubique aliquam saltem causarum effectus respectivi heterogeneitatem et aequivalentiam, seu oppositionem et exaequationem seu aequilibrium; cum nulla cogitari possit in rerum natura, quae polaritatis legibus incumbit, praevalentia absoluta seu praepondium perfectum, et quum observari possit, testante sensuum experientia et intellectus consensu, solummodo praevalentia relativa seu praepondium imperfectum.

### §. 33.

Proprietates caloris diversam habent ad proprietates aliorum corporum relationem, sunt etenim proprietatibus aliorum corporum:

I. vel auxiliariae seu homogeneae, et in hoc casu caloris additio inducit proprietatis relativae incrementum seu augmentum:

II. vel adversariae, seu heterogenae, et in hoc casu caloris additio inducit proprietatis relativae decrementum seu imminutionem.

### §. 34.

Exemplo sicut caloris positivi et negativi proprietates communes, etenim:

a) auget caloris additio corporum temperaturam, et adscribitur itaque calori proprietas alia corpora calefaciendi;

b) auget caloris additio corporum volumen, et adscribitur itaque calori proprietas alia corpora expandendi;

c) minuit caloris additio corporum consistentiam, et adscribitur itaque calori proprietas alia corpora liquefaciendi;

d) minuit caloris additio corporum densitatem, et adscribitur itaque calori proprietas alia corpora rarefaciendi.

### §. 35.

Omnes autem, quas modo enumeravimus, caloris positivi et negativi proprietates communes, comprobant caloris positivi et negativi, quam utrique jam supra §. 16 adjudicare praesumpsimus, directionem centrifugam.

### §. 36.

Proprietates peculiare caloris positivi seu febrilis sunt sequentes :

I. auget caloris febrilis accessus inflammationes locales;

II. augetur calor febrilis remediis phlogisticis e. g. spiritibus;

III. minuitur calor febrilis per calorem communem et remediis antiphlogisticis.

### §. 37.

Proprietates peculiare caloris negativi seu communis sunt sequentes :

I. minuit caloris communis accessus inflammationes locales;

II. minuitur calor communis remediis phlogisticis, e. g. spirituosis;

III. minuit calor communis calorem febrilem et auget remediorum antiphlogisticorum effectum.

### §. 38.

Sunt itaque caloris positivi et negativi proprietates peculiare sibi invicem adversariae seu heterogeneae, et constat itaque, quam de calore positivo et negativo supra §. 16. praesumpsimus, sententia, nempe competere calori positivo seu febrili actionem phlogisticam, et vindicari calori negativo seu calori communi actionem antiphlogisticam; et elucet inde, quam illustrandum suscepimus caloris positivi et negativi differentia essentialis.

### §. 39.

Consideravimus hucusque calorem febrilem tamquam phaenomenon generatim, nunc vero contemplabimur calorem febrilem in specie tamquam phaenomenon morbosum seu symptoma, et eruemus sub hocce respectu ejusdem in febribus significationem et indicationem generalem.

### §. 40.

Omne symptoma relatum ad morbi fontem nempe reactionem et affectionem morbosam reperitur reactioni ipsi:

I. vel auxiliarium seu homogeneum et deinde vocatur symptoma activum;

II. vel adversarium seu heterogeneum et deinde vocatur symptoma passivum.

### §. 41.

Deinde omne symptoma relatum ad medici scopum nempe morbi perniciem et aegrorum salutem reperitur ipsi aegrorum saluti:

I. vel auxiliarium seu homogeneum deinde etiam vocari meretur symptoma salutare;

II. vel adversarium seu heterogeneum et hinc etiam vocari meretur symptoma perniciosum.

§. 42.

Est autem relatio symptomatum ad morbi fontem eorundem significatio, et est relatio symptomatum ad medici scopum, symptomatum indicatio.

§. 43.

Quod de omnibus valet symptomatibus etiam de calore febrili valebit, et distinguendus est itaque sub hocce respectu:

I. quoad significationem: calor febrilis activus et passivus;

II. quoad indicationem: calor febrilis salutaris et perniciosus.

§. 44.

Non autem omne symptoma activum est etiam symptoma salutare, neque omne symptoma passivum est etiam symptoma perniciosum; id quod optime illustrabitur exemplis. Sic inflammatio ventriculi oriunda ex nimia dosi nitri depurati in subjecto sensili, offert quidem symptomata activa, sed attamen aegro perniciosa; e contra destructio suppuratoria partis scirrhosae potest quidem exhibere symptomata passiva, sed attamen salutaria, tollit etenim cum parte ipsa canceri horrendi germina et minas.

§. 45.

Quam modo exposuimus symptomatum distinctio in salutaria et perniciosa, summi est pro medico practico mo-

menti, praecipue autem in cura morborum symptomata; longe alia etenim conveniet symptomati salutaris, quam symptomati noxio seu pernicioso cura; et si symptoma salutare exigit curam defensivam seu homoeopathicam, deinde exigit symptoma perniciosum curam offensivam seu allopathicam. Occurrunt autem revera, testante medicorum experientia, non tantum salutaria in morbis symptomata, imo salutares integrae morborum formae.

## Theses defendendae.

---

I.

Omne medicamentum est relativum.

II.

Omnis morbus duabus et invicem oppositis constat partibus, nempe affectione et reactione morbosa.

III.

Contagia etiam sanguinem, inquinant, sed indirecte.

IV.

In medico practico plus valet acumen iudicii quam ampla memoria.

V.

Prima omnis medendi methodi dos est securitas eventus.

VI.

Functionum adfinitas et oppositio summam meretur medici practici attentionem.

VII.

Organorum Contiguitas et Continuitas magnam adspirant pro medico practico dignitatem.

VIII.

Omnis materia medicata triplicem subire potest cum corpore vivo conflictum nempe, dynamicum, mechanicum et chemicum.

IX.

Cognitio sanitatis illustrat cognitionem morbi.

## X.

Cognitio mortis illustrat cognitionem vitae.

## XI.

Doses Hahnemannianae ad inanitates pertinent.

## XII.

Pulsus parvus et debilis non est semper debilitatis signum.

## XIII.

Existit vis naturae medicatrix, sed non superfluum reddit artem.

## XIV.

Medici ars naturam ducem sequatur oportet.

## XV.

Praeter dispositionem et potentiam nocentem, certa adhuc inter utramque ratio ad morbum generandum requiritur.

## XVI.

Aër vitae pabulum et morborum fons est.

## XVII.

Homini convenit victus mixtus respicienda tamen consuetudinis vis.

## XVIII.

Medicamenta sanitati humanae nocent sive intempestive adhibita sive perverse.

## XIX.

Nullum est venenum absolutum.

## XX.

Studia immodica sanitati infensa.



**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICO - PRACTICA  
DE  
**HAEMORRHOIDIBUS**

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI  
VIRO DOMINI  
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,  
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI  
DECANI,

NEC NON  
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM  
D. D. PROFESSORUM,  
PRO  
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA  
RITE OBTINENDA  
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA  
UNIVERSITATE VINDOBONENSI  
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

*Josephus Flecksberger,*  
Tirolensis Hoedicollensis.

---

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus  
die Octobris MDCCCXXXVI.

---

VINDOBONAE.  
TYPIS ANTONII BENKO.  
MDCCCXXXVI.



Disertationes  
medico-  
practicæ.